

# ALNETANARUM QUÆSTIONUM

LIBER SECUNDUS.

## DOGMATUM CHRISTIANORUM

ET ETHNICORUM COMPARATIO.

ANTECESSIO.

- I. *Exordium.* II. *Libri argumentum.* 1. *In comparandis doctrina Christiana & profana placitis summa tantum attingentur rerum fastigia.* 2. *Ad Christiana doctrina defensionem utilissima sunt argumenta, quæ petuntur ex Poëtarum fabulis, religionibus Gentium, 3. & decretis Philosophorum.* III. *Ejusdem libri partitio.*



ALTER hic liber exponet habitas nobis in Alneta- *Exordium.*  
no disputationes, & doctrinae Christianae ac  
prophanae comparationem faciet, earumdem-  
que consensionem demonstrabit. Atque ea sa-  
ne pars, si minus subtilitate praestat & acumine,  
at certe utilitate. Cum enim id sit veritatis  
maxime proprium, ut non uno aliquo argu-  
mento, sed compluribus se approbet, quæ po-

sita in medio ab unoquoque pro ingenii captu inveniri possunt;  
cumque id à veritate, cui innititur, habeat Christiana Fides, ut mul-  
tis ac propè infinitis se tueatur Rationibus, quæ sanctorum Ecclesiae  
Patrum, doctorumque à piorum hominum libris luculenter explicatae  
sunt; opportunus frangendae impiorum pertinaciae imprimis videtur  
esse mirificus ille Christianorum Ethnicorumque decretorum & præ-  
ceptorum concentus ac convenientia. Mirificum dico: ambas  
enim hasce sectas (si modo sectae nomine ipsam veritatis doctrinam ap-  
pellare fas est) causis, argumentis, finibus bonorum & malorum,  
aliisque rebus adeo discrepantes, ut Christiana Ethnicam, velut pro-  
fanam, falsam, fallacemque, vanis religionibus debitam, superstitio-  
sam, omniumque errorum & flagitiorum originem, Philosophos ipsos,  
tanquam Hæreticorum, patriarchas & condimentarios, ut Tertullia- *Tertull. de*  
ni præscr. c. 7.